

vere justum, ita servus potest sibi compensare (sed non ultra infimum); dummodo (ego subjungo) herus pro eodem pretio minore justo non invenisset sine justitiæ læsione qui ei famulatus fuisset. Præterea dicunt Sotus, Navar. La-Croix, Corella Filguerra, etc. quod tunc servus non potest majus salarium exigere, quando proprio libito augetur operas debitas, non autem quando eas augetur ex voluntate expressa, vel tacita domini. Tunc tamen dicunt Viva, Croix, et Cardenas, quod non potest servus ex se facere compensationem sine consilio peritorum, aut alicujus theologi valde docti. Contra tenent Salm. quod si compensatio esset evidenter justa, et abesset periculum allucinationis, quia res de se patens esset, tunc potest servus juxta infimum pretium compensationem sibi facere. Et dicunt quod præfata propositio ideo damnata fuit, quia nimis generaliter loquebatur (1).

12. III. Circa conjuges peccat vir, 1. Si male habeat uxorem verberibus, aut contumeliis sine justa causa; potest autem cæteroquin in eam animadvertere, juxta accedente causa (ut esset præsertim causa honoris), dummodo animadversio esset competens statui, et conditioni uxoris, ut dicunt Busemb. Elbel, et Gob.; alias dupliciter peccaret. 2. Si uxori est impedimento, quominus satisfaciatur præceptis: si vero tantum ei impediret ea, quæ sunt concilii, nimirum frequentiam Sacramentorum, dicunt Bonac. Sayr. Bussemb. Fillic. etc. quod si impediret sine causa, tantum venialiter peccaret, non autem graviter, nisi sibi constaret, quod ex ipsis uberiorem fructum illa perciperet (2). 3. Si negat, aut negligit ei procurare alimenta, intelligitur injuste: nam juste potest ea negare, si mulier discedit ab illo sine causa, aut si illa adulterasset, ut dicunt Sanch. et La-Croix, cum Castropal. (3). Quoad dotem ta-

(1) L. 3. n. 522. et seqq. — (2) N. 356. — (3) Sanch. de matrim. l. 40. disp. 8. n.

men propter adulterium non potest vir sibi abdicare illam ante judicis sententiam: licet ut dicit Croix cum Castrop contra Sanchez, possit uxori repetenti dotem opponere exceptionem adulterii (4).

13. Peccat vero uxor, 1. Si non obedit viro in eo, quod justum est (præsertim in non reddendo debito conjugali), et si domesticam gubernationem sibi assumit, modo vir ad eam habilis sit, aut non sit profusus in prodigendis rebus suis. 2. Si de rebus communibus impenderet plus quam solent sui ordinis aliæ uxores. Observa quod dicitur Tract. 10. num. 33. de furto. 3. Si ad secundas nuptias transiens non servat filiis prioris conjugii bona, quæ a primo viro accepit, quorum tantum usus sibi competit, ut habetur ex Authentica, *Ex testamento*, et Authent. *In donatione, cap. de secundis nupt.* 4. Si injuste renuit sequi virum, qui mulat domicilium, licet sine sufficienti causa, et etiam si in longinquas partes proficiscatur, ubi diutius ei morandum sit, quia si brevi redeundum esset, nec mulier tenetur ire, nec vir eam conducere, sicut etiam nec vir tenetur, si magna impensa opus esset, ad secum illam conducendam; ita Sanch. Tolet. Fillic. Salmant, et alii communiter (5). Contra non tenetur mulier sequi virum: 1. Si talis esset conventio inita in sponsalibus, et nulla accidisset nova et gravis causa, tunc non animadversa, ut dicunt Castrop. Novar. Sanch. Salmant, etc. (6). 2. Si vir vellet eam conducere ad malum finem. 3. Si illa in itinere deberet se exponere gravi periculo mortis; aut alterius gravis damni. 4. Si vir vellet peregre proficisci, ut dicunt Nav. et alii communiter (7). An autem uxor teneatur sequi virum exultantem? alii negant, sed probabilius affirmant Sanch. Bossius, et alii (8).

25. et La-Croix l. 3. p. 1. n. 714. — (4) lb. — (5) Lib. 6. n. 977. — (6) Lib. 3. n. 353. — (7) L. 6. n. 377. v. Regulariter. — (8) L. 3. n. 353.

CAPUT IV.

AD QUID TENENTUR PASTORES ANIMARUM

PUNCTUM I.

De parochorum obligationibus.

44. I. De residentia. Dispositiones Concilii.
45. Si residet inutiliter.
46. Bona fides non excusat a restitutione
47. De licentia requirenda ab Episcopo
48. Ubi residendum sit Papæ, Cardinalibus, Episcopis, et parochis.
49. Excusant charitas, necessitas, obedientia, et utilitas.
20. An sufficiat licentia oretenus, an tacita, an præsumpta.
21. Si addatur causa pro absentia, sed desit licentia.
22. An omnes fructus restituendi sint.
23. Et cui.
24. ad 27. II. De Sacramentorum administratione.
28. An tempore pestis, etc.
29. III. De celebratione Missæ.
30. ad 32. IV. De correctione.
33. Debet impedire quominus clericalem habitum suscipiant, et denegare fidem indignis.
34. Debet inquirere, etc. et præcipue schedulas Communionis, matrimonii impedimenta.
35. et 36. V. De concione, et doctrina christiana.
37. ad 44. Quæ gravioris momenti, ut annuntientur.
45. Aliæ obligationes parochi, nempe 1. Exemphum 2. assistere moribundis 3. eleemosyna 4. examinare obstetrices, etc. circa Baptismum. De pulsanda campana hora 3. post meridiem, etc.
46. A parochis pendent boni mores, et salus populorum.

14. Parochi multis oneribus devincti, sed quinque præcipue: I. Tenentur ad residentiam. II. Ad Sacramentorum administrationem. III. Ad celebrandam Missam pro populo. IV. Ad corrigendum. V. Ad prædicandum, et instruendum. De omnibus sigillatim. Et I. quoad residentiam ante omnia advertendum quod fuit declaratum, et dispositum a Tridentino Sess. 23. de reform. c. 1. super hoc. Itaque Concilium 1. suffi-

cienter declaravit (ut communit d. sententia intellectum est) omnes Episcopos, et præsertim cæteros omnes curatos teneri de jure divino ad residendum in loco, ubi cura exercenda est, dum ibi pastores dicuntur de jure divino teneri pascere oves non solum Sacramentis, et verbi divini prædicatione, sed etiam exemplo, cui non potest satisfieri, nisi per residentiam, qua præsentem se ostendunt. 2. Statuit quoad Episcopos (quod procedit etiam de parochis) ne a diocesi discedant, nisi una ex sequentibus causis ita postulet, nempe charitas christiana, vel necessitas urgens, vel debita obedientia, vel evidens Ecclesiæ, aut reipublicæ utilitas, approbata tamen a Papa, vel a metropolitano, etc. (Benedictus XIV. tamen eam approbationem in Bulla *Grave* soli Papæ reservat), providendo tamen, quantum fieri poterit, ne sua absentia oves aliquid patiantur detrimenti. Conceduntur cæteroquin Episcopis tres menses, quibus possunt abesse, sed ex æqua causa, et sine gregis detrimento, de quo eorum conscientia onerentur: hortantur tamen residere in suis cathedralibus temporibus adventus, quadragesimæ, Nativitatis Domini, Paschæ, et Pentecostes. Quoad parochos dicitur, quod ipsi nequeunt ecclesias derelinquere ultra menses duos modo non adsit gravis causa procul morandi, sed tunc non nisi ex licentia in scriptis a Episcopo obtinenda. Imo etiam illis duobus mensibus non possunt parochi discedere, nisi Episcopus approbaverit causam, et idoneitatem vicarii, quem semper tenetur substituere parochus cum discedit. 3. Declarat, et statuit omnes pastores non residentes præter peccati mortalis reatum, pro rata absentia non facere fructus suos ex cura provenientes, et teneri, alia etiam declaratione non secuta, ad illos restituendos vel fabricæ ecclesiæ, vel loci pauperibus, quacunque compositione remota.

15. Hoc supposito, dicimus I. cum P. Viva eandem culpam, et restitutionis obligationem incurri a pastoribus absentibus, ac ab inutiliter in ecclesiis residentibus; et hoc tum ex lege naturali: fructus enim dantur pastoribus ratione utilis residentiae, non autem personalis tantum; tum quia Concilium expresse eos obstringit ad talem utilem residentiam, dum dicit *sibi inuncto sibi officio defungi teneantur*; et novissime luculenter hoc declaravit laudatus Pontifex Benedict. XIV. in præfata Bulla *Grave*, dicens, residentiam non esse veram, nisi sit formalis, nempe cum debito officio satisfiat. Et notant Barbosa, et Salmant. cum Vasq. et Garcia afferentes declarationem S. C. non reputari residere illum parochum, qui duos menses per se non exercet munera principaliora, nempe concionem et Sacramentorum administrationem (1).

16. Dicimus II. parochum (aut Episcopum) non residendo, quamvis bona fide credat habere justam causam, etiam teneri ad restitutionem (quicquid dicant Viva et Garcia); et eadem ratione superius assignata, dum pastor tenetur residere, non solum lege positiva, sed etiam naturali, ratione contractus inter pastorem, et Ecclesiam initi, propter quem illi dantur fructus; unde non potest hos sibi retinere, semper ac licet sine mala fide) muneris sui partes non adimplet. Tanto magis quod Benedict. XIV. in Bulla *Ad universæ* 3. Sept. anni 1746 declaravit expresse Episcopos absentes ultra tres menses ab ecclesiis sine legitima causa, et expressa licentia Papæ, transgressorum penas incurrere, inter quas, ut dictum est, præcipua est poena, ut non faciant fructus suos (2).

17. Dicimus III. licet a Concilio requiratur licentia Episcopi tantum pro absentia parochi ultra duos menses, nihilominus parochum non posse

(1) L. 4. n. 127. Dubit. 3. — (2) *ibid.* Dubit. 2. — (3) N. 123. Dubit. 2.

derelinquere parochiam, neque per illos duos menses, tametsi justam habeat causam, nisi Episcopus eam approbet, et nisi etiam (quod magis interest) approbet substitutum sufficiens (3). Cæterum si unquam accideret aliqua necessitas descendendi, quæ moram non pateretur, tunc bene permittitur parochi descendere, modo sit pro brevi tempore et vicarium idoneum pro se substituat. Ita dd. communiter cum Deer. S. C. Debet tamen tunc parochus certiorum facere saltem Episcopum de hac sua absentia, ut saltem licentiam obtineat pro alio tempore, quo abesse deberet, modo brevi reversurus non esset. Præterea hujusmodi absentia admittit materia parvitatem, ut communiter dicunt Castropal. Anacl. Roncag. Barb. Holzman, etc. Alii dicunt esse parvitatem materia moram unius hebdomadæ, multi alii etiam duarum, ut Tournel. Cabassut. Sanchez Ronc. etc. (semper intelligitur, si substituat alium). Sed in Concilio romano sub Benedicto XIII. (*tit. 25. cap. 6.*) prohibitum fuit parochis abesse a cura sua ultra biduum sine licentia Episcopi, aut ipsius vicarii: rumor tamen communis est etiam a doctis viris divulgatus, quod talis Synodus non fuerit in nostro regno acceptata La-Croix excusat a culpa gravi parochum, qui abesset duos menses sine licentia, sed cum causa, et sine gravi damno gregis, dicens quod talis absentia non reputatur a Concilio gravis, et pro se citat Barbosam, Nav. Bonac. et alios. Sed huic opinioni nescio acquiescere, dum Concilium (ut dictum est) statuit, ut Episcopus in tali absentia non solum approbet causam, sed etiam vicarii idoneitatem ob periculum quod contingere potest, quod non idoneus substitutus possit magno damno esse gregi duos menses ei præsidendo (4).

18. Quæritur 1. Ubi debent resi-

(4) Lib. 4. n. 123. v. Cæterum.

dere pastores? Papa et Cardinales Romæ. Episcopo, ut dicunt Fagu., Salm., etc. residendum in cathedrali: nos vero cum Cabass., Bonac., Holzman, quod possit residere in quolibet loco diocesis, et hoc non potest hodie revocari in dubium post Bullam Benedicti XIV. quæ incipit *Ubi primum* anno 1740. in qua sic declaratum est: *Personalem in ecclesia vestra vel diocesi servetis residentiam*. Confirmando cæteris quod prius expresserat Trident. his verbis: *Obligari ad personalem in sua ecclesia, vel diocesi residentiam*. Parochus autem debet manere domi ecclesiæ suæ, si adest; sin minus, in alia domo in restrictu parochiæ existente, saltem moraliter; unde ipse commode ecclesiæ servitio præsto esse possit, et quo sui parochiani facile accedere possint, ut Sacramenta suscipiant. Ideo dicunt Bonac. et Salm. non iudicari residere illum parochum, qui longe a parochia habitaret tribus miliaribus, nec duobus, ut rationabiliter dicit La-Croix. Imo non sine ratione addit idem auctor cum 4. aliis, non sufficienter residere parochum, qui inter limites parochiæ habitaret, tamen non facile oves ad eum accedere possunt (1).

19. Quæritur 2. Quo sensu accipiendæ erunt quatuor causæ superius descriptæ a Tridentino? Et 1. pro *charitate* christiana intelligitur, quando pastori alio proficiscendum est ad lites componendas, et præsertim inter potentes, aut ad liberandam aliam ecclesiam ab hæresi, aut ab aliis enormibus sceleribus 2. Pro *necessitate* urgenti intelligitur, si pastori illic imminet mortis peculiare periculum; et præcipue pro parochis decrevit S. C. quod ob talem causam potest parochus per sex menses abesse, relicto ibi vicario ex licentia Episcopi; quæ potest prorogari ad aliud temporis spatium, sed elapso anno debet induci ad renunciandam parochiam. Loquendo autem de su-

(1) N. 124

periculo, non intelligendum periculum commune, ut esset pestis (ut dd. communiter sentiunt, et S. C. declaravit), inimicorum invasiones, et hujusmodi; sed intelligitur periculum particulare respectu parochi ipsiusmet (aut Episcopi) v. g. quia ab inimicis vexatur, aut quia suæ valetudini ær nocivus est, modo infirmitas non sit perpetua, et absentia non gravi detrimento futura sit gregi, alioquin aut pastori residendum est in loco curæ, at abdicanda est cura; observetur quod super hoc præcipue de Episcopis sancitum est a Benedicto XIV. in Bulla *Ad universæ* edita 3. Sept. anni 1746 (2). 3. Pro *obediencia* debita intelligitur, si parochus aut Episcopus abesset, ut Papæ aut Ordinarii mandatis obsequeretur propter bonum Ecclesiæ aut reipublicæ, aut quæcumque aliam causam gravem, ut dicit Tournely, dummodo absentia sit brevis, si enim diuturna est, requiritur necessitas boni communis. Et hic advertit quod Episcopus non potest sibi assumere parochum in vicarium, aut visitatorem, etc. et apud se retinere, ut declaravit S. C. Sed hoc limitant Castrop. Barbosa, Azor. et Vasq. si nullus alius inveniretur (quod rarissime accidit) qui supplere posset. 4. Pro *utilitate* evidenti Ecclesiæ, aut reipublicæ intelligitur, quando contingit pastorem abesse, vel ut Synodo assistat, vel se, aut suos, aut Ecclesiam in negotio gravi apud regium tribunal defendat, ut dicunt Soc. Bonac., Vasq., Ronc. et Salm. cum decisione Rot. rom. Hoc tamen intelligitur semper ex licentia, et modo adsit alius, qui assistere possit. Et Benedictus XIV. dicit in citata Bulla, quod, si agatur de lite propriæ familiæ, non concedendam Episcopis aliam licentiam præter menses conciliares (3).

20. Quæritur 3. An licentia, quam obtinere debet parochus valeat si data sit oretenus tantum? Affirmant Lessius et alii, dicentes scripturam

(2) Lib. 4. n. 125. v. Sic pariter. (3) N. 125.

tantum requiri quoad forum, non autem quoad validitatem. Contra id negant Sanch. et Castropal. qui dicunt a Concilio requiri licentiam in *scriptis pro forma*, uti loquuntur, alias nullius esset roboris. Sed cum hoc non constet, putant Viva et Croix probabilem esse Lessii opinionem. Imo Coninch. et Reginald. admittunt etiam licentiam tacitam Episcopi cum consensu de *presenti*. Addit Mazzotta sufficere etiam licentiam praesumptam de *futuro*, seu interpretativam; sed La-Croix dicit hanc a nemine admitti. Et S. C. declaravit praefatam licentiam debere esse expressam (1).

21. Quæritur 4. An parochus (aut Episcopus) teneatur ad restitutionem fructuum, foris morando sine licentia sed ex causa certe justa? P. Viva ait (2). parochum tunc peccare contra jus positivum, sed non contra naturale, ex quo infert non teneri nisi post sententiam ad fructuum restitutionem. Sed huic opinioni nescio acquiescere, dum Concilium vult respectu parochorum pro tempore absentiae (ut superius dictum est) non solum probandam causam, sed etiam substitutum qui sufficitur. Et quoad Episcopos declaravit Benedictus XIV. (ut dictum est n. 16.) comprehendendi sub nomine transgressorum eos, qui derelinquunt dioceses ultra *tres menses absque legitima causa et expressa Pontificis licentia*. Et animadvertendum quod transgressores, juxta Concilium et Bullam Benedicti, in poenam non solum damnati sunt ad fructuum restitutionem, sed etiam ad eos non acquirendos, dum ibi dicitur: *non facere fructus suos*. Hinc etiam ex lege positiva mihi videntur teneri ad restitutionem fructuum, quos perceperunt non suos, cum enim delinquant in ecclesia derelinquenda sine licentia, fructus acquirere non possunt (3). Saltem (dico ego) est dubium an in tali casu possit pastor suos facere

(1) L. 4. n. 123. v. Hic autem. — (2) Opusc. 3. q. 3. a. 3. ad. 7. — (3) L. 4. n. 127.

fructus praedictos, et in dubio justituli nemo potest juste rerum acquirere dominium, ut dicitur *Tr. 10. n. 8. et seqq. et 144.* cum agemus de dominio (4). Cæterum nescirem condemnare parochum illum qui ex causa evidenter justa discederet, et œconomum idoneum alias jam approbatum ab Episcopo, et qui actu jam reperiretur in parochiæ servitio relinqueret.

22. Quæritur 5. An parochus delinquendo in residentia teneatur ad omnium fructuum tempore absentiae correspondentium restitutionem? Affirmat Navar. ex eo quia Concilium indefinite obligat ad restitutionem. Nihilominus probabiliter dicunt Barb. Bonac, et Viva cum Vasq. et communi, ut asserit, teneri tantum ad eam partem, quæ residentiae oneribus respondet, dum fructus non tantum ad hoc dantur, ut hæc onera sustineantur, sed etiam ob alia, nempe ob Horas canonicas, Missam, etc. Quare cum Concilium non expresse rit contrarium, praesupponitur in hoc se remisisse naturali rationi, quæ dicitat neminem privandum tota mercede, qui jam parti onerum assumptorum satisfacit (5).

23. Quæritur 6. Cuinam restituendi sunt fructus a pastoribus non residentibus? Cæteri beneficiati si omitunt recitare Horas canonicas, possunt restituere pauperibus cujusvis loci (aut fabricæ ecclesiæ, aut domus beneficii); sed pastores non residentes, uti præcepit Trid. Sess. 23. c. 1. debent eos applicare omninim fabricæ ecclesiæ, vel pauperibus loci. Nec sufficit eos applicare animabus purgatorii illius regionis, Missas, aut alias preces offerendo; nam revera animæ defunctorum nequeunt amplius dici illius regionis. Dicit tamen p. Viva cum Lessio, quod bene possit parochus sibi illos applicare, si vere pauper sit; dummodo id non efficeret in fraudem, nempe si deesset residentia

(4) Cit. n. 127. — (5) L. 4. n. 127. Dubit. 4.

annuo sibi applicandi restitutionem faciendam; *fraus enim nulli patrocinari debet*. Præterea posset parochus fructus sibi retinere, si pauperes ei illos donarent, sed postquam ad eorum manus illi pervenerint; antea enim pauperes non possunt illos remittere, cum ipsi non acquirant dominium illorum fructuum, nisi post traditionem sibi factam (1).

24. II. Parochi, aut alii curati per se ipsos tenentur ad Sacramentorum administrationem. Quod ad Sacramentum Pœnitentiæ attinet, parochus tenetur illud administrare non solum tempore præcepti et in casibus gravis necessitatis, sed toties quoties (ut communiter Lugo, Azor., Busemb., Salm., Holzman, etc. contra Silvest. et pauciores) poenitentes confiteri etiam ex devotione petunt; nisi (ut recte excipit Aversa) illi intempestive et nimis frequenter vellent audiri: aut nisi essent alii confessarii, et ipse esset legitime impeditus (2). Unde dicunt La-Croix, Gobat. Concina et Salm. peccare illum parochum, qui redditur morosus et difficilis ad audiendas confessiones, praesertim si fuerit accitus ab infirmis, quibus ut præcepit s. Carolus Borromæus, statim et qualibet hora accurere debet. Si tamen curatus semel atque iterum extra necessitatem renueret alicujus confessionem audire, probabiliter dicunt Suárez, et La-Croix, cum Arriaga (contra Bonac.) non peccare graviter, dummodo non adesset aliqua urgens necessitas, v. gr. jubilæi, festivitatis solemnitas, et limitat Aversa (3). Si autem parochus haberet œconomum ab Episcopo approbatum, non tenetur cum tanto rigore confessionibus audiendis vacare; sed ei animadvertendum est quod certus debet fieri œconomum idoneum esse tam quoad scientiam, quam quoad mores, alias rationem Deo ipse redditurus est de omnibus damnis, quæ ob ejus ignorantiam, et pravos mores evenient. Semper expediens erit (obiter hic

(1) N. 128. — (2) L. 6. n. 58 et n. 623. — (3) N. 623.

notamus) ut parochus interdum arcessat confessarios externos propter animas verecundas, praesertim si eo concionator quadragesimalis non solet accedere ad audiendas confessiones.

25. Quoad Communionem pariter communiter dicunt dd. teneri parochum ad eam subministrandam quoties rationabiliter et opportune de ea ex postulatur, dum pastor non solum debet prospicere ut ejus oves præcepta adimpleant, sed etiam ut iis auxilium præmuniantur, quæ eorum profectui conferre possunt. Hinc sancitum fuit ex decreto S. C. an. 1679. approbato ab Innoc. XI pastores (Episcopos nempe aut parochos) licet ex justis causis possint Communionem taxari alicui subdito in particulari, non posse tamen præscribere dies Communionis pro omnibus generatim, sed debere in hoc remitti iudicio confessariorum (4). Circa Viaticum quando possit et debeat dari, observa quod dicitur in *App. II. de assistentia moribundorum § 4. n. 2.*

26. Tenentur quoque parochi curare, ut pueri Communionem paschalem suscipiant, cum illius capaces sunt nempe (regulariter loquendo) cum pervenerint ad decimum usque ad duodecimum annum, ut dicunt Lugo, Castrop., Salmant., Dicastil. etc., aut saltem usque ad quartumdecimum, uti dicunt Suar., Laym., Wig., Antoine et La-Croix. Sed s. Carolus Borromæus in nona Synodo diœcesana præcepit suis parochis, ut habiles redderent Communioni omnes pueros decennes; et quidem parochi postea difficiles se præbent ad Communionem dandam pueris duodecim annos natis; sed cur? Ne sibi assumant onus eos instruendi. Prohi quot parochi hanc suam obligationem negligunt, quæ utique levis minime dicenda est!

27. Quoad Extremam-Uctionem sub gravi tenentur parochi ad eam ministrandam iis, qui exposcunt. Et

(4) N. 253. et 25

animadvertant quod docet Catechismus rom. (part. 2. de Extrem. Unct. n. 18.): *Gravissime peccant qui illud tempus ægrotos unguendi observare solent, cum, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiunt.*

28. An autem parochi tempore pestis teneantur residere, et Sacramenta ministrare cum periculo vitæ? Quod ad residentiam spectat, communiter docent dd. ad eam teneri cum s. Thoma qui ait (1). *Ubi subditorum salus exigit personæ pastoris presentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere... propter aliquod personale periculum imminens.* Excipit tamen s. doctor casum, quo pastor possit sufficienter per alios providere, sed non loquitur de tempore pestis. Ceterum habemus apud Fagnanum (2), Gregorium XIII. declarasse tempore pestis omnino teneri parochos residere; et alio decreto (ut referi Fagnanus ibidem) declaravit teneri etiam Episcopos residere, cum potestate tamen (ut dixit) residendi in aliquo loco tutiori diocesis et illius prospicere necessitatibus. Quoad Sacramentorum administrationem, approbando decretum S. C. Concilii an. 1576. ita declaravit: *Parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat Sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et Pœnitentiam.* Cum igitur dixerit *dumtaxat*, declaravit parochos liberos esse ab obligatione ministrandi Communionem et Extremam-unctionem peste laborantibus. Imo subjunxit, quod possint ipsa Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ per alios idoneos ministrare, se ipsos servando ad audiendas confessiones bene valentium, qui alias ab ipsis abhorrent, si viderent eos accedere ad morbo decumbentes (3). Advertunt tamen Suarez, Holzm., Concina, Castropal., Sporer et alii communiter, quod si peste laborans (modo sensu careat) multo ab.

(1) 2. 2. q. 185. a 5. — (2) in 4. partem 3. Decretal. cap. Clericus de cleric. non resid. n. 38. et seq. et 43. et seqq. — (3) L. 6. n. 233.

hinc tempore non sit confessus, et probabiliter parochus putaret illum esse in peccato mortali, tunc tenetur etiam cum periculo vitæ eum Extrema-unctione munire (4).

29. III. Parochi, aut alii curati seculares, aut regulares (et eo magis Episcopi) tenentur orare et celebrare Missam, non solum ut populus ei intersit, sed etiam applicare fructum pro illo singulis dominicis et festis, ut novissime statuit Benedictus XIV. in Bulla *Cum semper*, 19. aug. an. 1744. declarans hoc valere, etiam si curatus congruam non haberet (*licet* verba Bullæ, *congruis redditibus destituatur*), et quamvis adhiberi ad sit consuetudo immemorabilis in contrarium. Et si parochia vacaret, facultatem dedit Episcopo assignandi economo congruam portionem fructuum, ut ipse pariter in festis possit celebrare pro populo. Tribuit pariter facultatem Episcopis dispensandi cum aliquo parochio, qui aliter non posset vivere, ut possit applicare in festis pro dantibus sibi elemosynam, cum onere supplendi diebus ferialibus pro populo. Hic autem dubium fit, de quo apud nullum auctorem inveniunt mentionem fieri, an parochus infirmus, cum nequeat Missam per se ipsum celebrare pro populo, teneatur per alium? Plures doctos in hoc consului; alii negarunt, dicendo hanc obligationem includi in generali onere, quod omnes pastores habent orandi pro sui gregibus; et cum obligatio orandi sit mere personalis, sicut parochus impeditus orare, non tenetur orare per alium, ita impeditus celebrare, non tenetur celebrare per alium. Sed ego cum aliis censeo oppositum tenendum, quia parochus non solum tenetur celebrare pro populo, sed etiam Missam populo applicare, ut declaravit Benedictus XIV. an 1744. in sua Bulla supra citata *Cum semper*. Id est, juxta effata s. Pauli (*Hebr. 5. 1.*). *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur*

(4) N. 729.

in iis que sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Et denique idem confirmat *vers. 3.* dicens: *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semelipso offerre pro peccatis.* Obligatio autem pastoris orandi pro populo est equidem personalis, sed obligatio applicanti populo fructum Missæ est simul personalis (quia si potest celebrare per seipsum, nequit celebrare per alium) et etiam realis, cum sit una ex obligationibus muneri pastoris annexis, prout dictum fuit in Concilio Tridentino *sess. 23. de reform. cap. 14.* ubi mandatum fuit sacerdotibus curam habentibus animarum Missas celebrare *tam frequenter ut suo muneri satisfaciant.* Onus autem hoc offerendi Missas pro populo est ex præcepto divino, ut expressit idem Concilium *cit. sess. 23. cap. 1.* ubi dicitur: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; divini prædicatione etc.* Illud autem præceptum divinum habetur apud Joan. (21. 17.): *Pasce oves meas.* Sicut igitur tenetur pastor oves suas pascere prædicatione, Sacramentorum administratione, correptione, etc., sic etiam tenetur pascere applicando eis fructum Sacrificii: quapropter, sicut pastor impeditus prædicare, vel Sacramenta administrare, tenetur prædicare, et administrare Sacramenta per alium: ita impeditus applicare per seipsum populo Missam, tenetur per alium applicare Sacrificii fructum, qui est pasuum utilis, quo populum juvare potest.

Si autem parochi, et omnes quibus cura animarum commissa est, tenentur in dominicis et festis præceptis Missam celebrare et applicare pro populo, tanto magis ad id tenentur Episcopi, uti principales pastores animarum. Non autem ad hoc tenentur quotidie; nec obstat textus

(1) Vide l. 6. n. 325. et 326. et l. 8. n. 350. — (2) N. 360. v. Parochi.

in cap. *Quoniam*, ult. de privil. ibi enim dicitur, quoad Episcopos quotidiana celebratio Missæ, vel auditio esse tantum de decencia, non vero de obligatione; hæc sunt verba textus: *Quoniam Episcopi eorumque superiores, se habent diversis ex causis a suis ecclesiis et diocesisibus absente frequenter, nec semper possunt commode ad ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet (nota non decet) absque casu rationabili ullum diem. presentis Constitutione indulgemus eisdem ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrare ubicumque absque interdicti transgressione, illis permittit celebrare, vel audire Divina.*

Notandum demum hic obi er, quod Benedictus XIV. in Bulla supra relata, *Cum semper*, declaravit insuper, Missam Conventualem, quæ a clero ecclesiarum quotidie cantatur, non posse applicari pro populo, sed omnino applicandam esse pro benefactoribus in genere cujusque ecclesiæ, quacumque consuetudine non obstante (1).

30. IV. Parochi, et tanto magis Episcopi tenentur etiam cum periculo vitæ ad corripiendos subditos, qui in peccato mortali existunt, aut in proximo periculo labendi in illud, et non solum in eorum extrema necessitate, sed etiam in gravi, semper ac fulget emendationis spes, ut communiter docent Suar., Bonac., Valent., Coninc., Salm. etc. cum s. Thom. 2. 2. q. 185. a. 5. (2). Addimus cum Cajet., Sanch., Castrop., Diana, Rone., Holzm. et aliis communissime (contra paucos) ad id teneri pastores non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, propterea enim a communitate stipendium recipiunt, ut ipsi pro viribus curent impedire vitia cujuslibet suæ ovis, idecque, cum deliquerint graviter in eo debito justitiæ, remanent etiam obligati ad fructuum restitutionem (3).

(3) Ibid. v. Sed dubit. 1

31. Et cum ab aliquo potente reperitur aliquod scandalum dari, cui parochus non posset occurrere, debet ille Episcopum certiores facere, ut de remedio occurrat. Et si forsitan Episcopus in hoc negligens esset, debet parochus ad secularem potestatem recurrere, si subditus laicus esset, aut alia remedia opportuna tentare, et non debet hoc negligere ob quemcumque humanum respectum, aut timorem. In summa hoc est, quod Evangelium clamat, quod *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Cum in regione reperiuntur notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, parochus tenetur curare, ut Missio eo adveniat (ille parochus, qui Missionem non curat, suspicionem ingerit suorum morum; boni enim parochi non præmittunt quarto aut quinto quoque anno Missionem accessere). Denique ubi nihil intentatum reliquit, ut consuleret malo; etsi generaliter loquendo non esset præcisa obligatio faciendi correctionem, cum nulla subest spes profectus, non debet ideo parochus eam omittere; et etiam eam identidem repetat peccatoribus obstinatis, saltem in casu, quo periculum non subesset aliquod grave damnum subeundi; inserviet saltem illa correctio ad hoc, ne parochus ab aliis subditis male audiat, cum videant scandalum durare, et pastorem obdormiscere, præterquam quod correctio inserviet ne alii in exemplum inducantur in peccatis sordescere, cum vident neminem adesse qui eos corripiat aut exprobet.

32. Et pastor non solum tenetur peccata et scandala jam incepta auferre, sed etiam illa quæ facile postmodum excitari possunt, impedire. Præ ceteris præcipue debet impedire, quominus sponsi accedant ad domum sponsarum: nam quamvis initio non accedant cum pravo fine, nihilominus experientia docet, quod in hujusmodi occasione quasi omnes sponsi postea in peccata labuntur, et

secum in illa trahunt etiam parentes, qui permittunt eos versari cum sponsis. Quare debet parochus omnibus modis curare, ut impediatur hæc spiritualis ruina duarum familiarum ex hac causa proveniens, quæ ruina perseverabit usque dum matrimonium contrahetur, præsertim si sponsalia jam sunt inita. Ideoque cuilibet parochus elaborandum esset, ne verba sponsorum acciperet, nisi paulo ante matrimonium contrahendum; cum experientia observemus, in his sponsalibus, totum illud temporis spatium inter nuptias intercedens esse tempus peccatorum.

33. Ad hæc debet parochus apud Episcopum impedire, ne habitus clericalis conferatur adolescentulis, aut pueris, qui suis moribus non sunt aliis exemplo, aut saltem indelem ecclesiasticam non præ se ferunt; nam si ipsi tacent, et sinunt eos induere habitum clericalem, illi postea adolescerent in otio, et exui habitum erubescerent, per fas et nefas, quam vitii onusti niterentur ordinari, et religioni magnæ essent perniciæ, cui in principio facile parochus potuisset occurrere; post vero desperabitur remedium. Et ideo clericos, qui jam initiati reperiuntur curet saltem instruere, et per semitas vitæ devotæ dirigere, ut boni ecclesiastici evadant. Igitur quam rationem redditori sunt Deo illi parochi, qui fidem faciunt, illos ordinandos Sacramenta frequentare, et bonis esse moribus, quos sciunt nec esse assiduos in Sacramentorum susceptione, nec aliis bono exemplo, sed potius scandalo fuisse! Quid miserius esse potest, quam cernere clericos, qui vix bis aut ter in anno confessi sunt et communicaverunt parochi fides audacter præsentare qualibet hebdomada aut bis in mense fuisse confessos et communicasse! De hujusmodi parochis, qui has fides præstant, dicendum est defecisse a Fide, nam certe de omnibus flagitiis quæ committunt isti sic sine Dei vocatione promoti, et

de omnibus iis, quorum ipsi aliis causa sunt, parochus sibi Deum vindicem facit, cum Episcopi in hoc parochis omnem fidem committunt. Sed Episcopi diligentiores non quiescunt in parochorum attestationibus in hac materia tanti momenti, unde salus populi pendet, nec parochus coram Deo excusabitur, si fidem facit ex aliorum attestatione, nisi de eo, quod testatur circa Sacramentorum frequentiam, et bonos mores, plus quam certus fiat.

34. Non tantum tenentur parochi ad correctionem faciendam, et ad impedienda peccata et scandala, quæ vident, sed etiam ad diligentius inquirendum, an in regione adsit aliquis subditus, qui in aliquo peccato versetur, et suo muneri non satisfaciat; parochus enim commissa est salus uniusejusque ovium. Ita communiter docent dd. Cajetanus, Laym., Soto, Salmant. et alii cum s. Thoma (1) qui ait: *Qui habet specialem curam alterius, debet eum querere ad hoc, ut corrigat de peccato* (2). Præsertim invigilare debet ut subditi omnes præcepto paschali satisfaciant, sine personarum acceptione; proptereaque cavere debet ne schedulas Communionis committat alicui clerico. Elapso jam tempore paschali, diligenter debet inquirere de iis, qui forte non adimpleverint præceptum (3): et debet eos monere, qui si non resipuerint, deferat ad Episcopum, ut excommunicatione, aut interdicto saltem in illos animadvertat. Hoc quidem aliqui parochi efficiunt cum personis popularibus, conivent autem et sopore torpentur cum aliis majoris existimationis. Quot istorum in Missionibus reperiuntur, qui per multos annos omiserunt præcepto satisfacere; quin de hoc parochus verbum quidem admonitionis cum eis impenderit! Præterea cum ali-

(1) 2. 2. q. 33. a. 2. ad 4. — (2) L. 3 n. 360. Dubit. 2. — (3) Barb. de offic. par. c. 2. n. 7. et Segneri paroch. instruct. cap. 23.

quod matrimonium contrahendum erit, debet inquirere si aliquod subsit impedimentum, et si probabiliter putat subesse, tenetur suam eis negare assistentiam, et nuptias suspendere, donec saltem certior fiat Episcopus, ut ipse quid faciendum decidat, ut communiter Sanchez, La-Croix, Ledesma, Vega, et alii cum Lugo, qui cum Coninch. addit, quod si Ordinarius sciat aliquod impedimentum occultum, debet matrimonium prohibere, licet hoc privata scientia noscat, et nequeat probare (4).

35. V. Parochi tenentur instructiones, et conciones facere. Quoad instructionem debent instruere et docere plebem Mystera Fidei, quæ sciri et credi debent, et quæ necessaria sunt ad salutem, prout sunt 1. Quatuor Mystera principalia, nimirum esse unum Deum, et hunc esse omnipotentem, sapientissimum, Creatorem et Dominum universi, misericordem et amabilem super omnia, præcipue vero esse justum remuneratorem bonis et malis; 2. Mystera SS. Trinitatis et Incarnationis, ac mortis Jesu Christi. 3. Sacramenta necessaria, quæ sunt Baptismus, Eucharistia et Pœnitentia; cetera saltem cum suscipienda sunt; et dispositiones necessarias, ut hæc suscipiantur. 4. Articulos symboli Fidei, et hos inter præsertim Virginitatem sanctissimæ Mariæ: Sessionem Jesu Christi ad dexteram Patris, nimirum ipsum in cælo esse in æquali gloria cum Patre: Resurrectionem mortuorum in finali judicio a Jesu Christo faciendam: Unitatem Ecclesie romanæ, in qua tantum reperitur salus; et tandem æternitatem paradisi, et inferni. Quæ omnia quilibet fidelis tenetur scire sub gravi. 5. Præcepta Decalogi et Ecclesie. 6. *Pater noster* et *Ave Maria*, et actus Fidei, Spei, Amoris et contritionis. Itaque sicut graviter peccat, qui negligit hæc scire (et quidem non tantum quoad voces, sed etiam quoad sensum), ita

(4) Lib. 6. n. 54. v. Certum.

etiam graviter peccat parochus, ut communiter dd. si per se, vel per alios idoneos (ipso legitime impedito, ut loquitur Conc. Trid. sess. 5. c. 2.) non curat ea docere saltem quoad substantiam suos subditos, pueros et adultos, qui ea ignorant. Hinc cum animadvertit, parentes, aut dominos non curare ut filii, aut famuli intersint doctrinæ christianæ, tenetur cum Episcopo de opportuno remedio consilium capere, qui ut habetur in Trid. sess. 24. c. 4. de ref. potest etiam per censuras ecclesiasticas ad id parentes cogere. Boni pastores adnotatos tenent pueros, ut sciant quis eorum desit suas in hoc adimplere partes, Imo ait La-Croix l. 2. n. 174. et l. 3. p. 1. n. 767. si adessent alii rudes, qui adire ecclesiam nequeant, quia custodiunt domum, aut greges, cum in gravi necessitate spiritali reperiuntur, debere parochum eo proficisci, ad eos instruendos cum quocumque suo incommodo, ut loquitur præfatus auctor. Saltem non dicimus, cum hoc ei maximæ molestiæ futurum foret ob horum rudium multiplicatam, curet saltem eos instruere tempore præcepti paschalis, aut cum accedunt ad suscipiendum Sacramentum Confirmationis, aut ad contrahendum matrimonium. Expedit etiam, ut exploret magistros, et magistras, an possint recte docere pueros et puellas doctrinam christianam, et media conducentia ad in timore Dei vivendum.

36. Quoad concionem, parochus tenetur ad concionandum omnibus dominicis, ut præcepit Trident. sess. 5. c. 2. de ref. (circa quod vide Tract. VI. n. 5.) Sed hic advertendum per Tridentinum non solum impositum esse parochis pascere greges verbo divino; sed etiam eos pascere pro captu eorum, facilitate sermonis, ut percipiant quod, prædicatur. Cum enim verum sit quod Fides sicut diffunditur, ita conservatur prædicatione, *Fides ex auditu*; parum aut nihil proderunt populis conciones il-

læ, quæ non sunt conformes modo, quem tenuit Jesus Christus, et apostoli secuti sunt, qui prædicarunt non in persuasibilibus humane sapientiæ verbis, sed in ostentatione spiritus et veritatis, ut fatetur s. Paulus. Ideoque merito v. p. m. Avila non Christi ministros, sed proditores vocabat eos concionatores, qui ex vanitate prædicant, ut laudes assequantur: et p. Gasp. Santius dicebat quod isti sunt, qui magis Ecclesiam persequuntur, dum sic prædicando causa sunt, cur multæ animæ pereant, quæ per conciones ad apostolorum normam salvarentur. Vana verba, periodi contorti, et sonantes, descriptiones inutiles, dicebat s. Franciscus Sales., sunt pestis concionis; cuius unicus finis esse debet voluntatem auditerum ad bonum movere, non autem inutiliter intellectum pascere; sicuti experientia docemur, huiusmodi exornato stylo concionandi animas vitam non mutare, quia Deus cum vanitate non concurrit. Et hoc dictum sit de omnibus concionatoribus, qui cum vanitate prædicant, sed præcipue de parochis, quibus Tridentinum loco citato hæc præscribit: *Archipresbyteri quoque, plebani, et quicumque parochiales vel alias curam animarum obtinent per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis.* Notentur verba illa, *pro earum capacitate.* Quare certe transgrediuntur Concilii præceptum illi pastores qui stylo sublimi ultra populi captum prædicant.

37. Hic etiam juvat advertere nonnulla; quæ valde expedit ut parochus in concionibus populo sæpe sæpius, inculcet. Ex quo ad emendationem non sufficit peccatum fugere, sed etiam oportet fugere occasionem peccati. Et loquendo de sponsis, qui versantur in domibus sponsarum, dicat tam ipsos, quam illarum parentes, qui hoc permittunt

non posse absolvi, nisi removeant prædictam occasionem. 2. Adurgeat homines ne tabernas adeant, eis patefaciendo innumera peccata, quæ illic, præter ebrietates, committi solent, nempe blasphemias, rixas, scandala, obscenitates, domesticæ discordiæ, subtractiones victus a familia, etc. 3. Sæpe declamet in vitium (quod est generale, præcipue in villis) loquendi inhoneste in campis et in officinis, tanto magis si loquatur coram pueris et puellis, et aliis diversi sexus. Propter hos pravos sermones quot juvenes deperunt. Et hortetur de hoc parentes, dominos, et magistros officinarum, ut invigilent ad corrigendos, et ad puniendos suos filios, aut famulos, qui ita obloquuntur, præsertim tempore vindemiæ. 4. Instet ad demonstrandam sacrilegii enormitatem, qui confitentur, et communicant, omisso aliquo peccato in confessione ob ruborem, et ut horror concipiatur, curet sæpe sæpius narrare aliquod terribile exemplum eorum qui sacrilege confessi sunt ob ruborem, et postea infelici exitu perierunt, et poterit propterea ad manus habere libellum p. Vegæ, cui titulus: *Casi della confessione, etc.*

38. Insinuet 5. necessitatem doloris, et propositi pro confessione, etiam si illa sit de solis venialibus, hortando ne quis accedat ad absolutionem, nisi vere doleat saltem de aliquo peccato veniali eorum, de quibus se accusat, aut nisi materiam certam vitæ antea exponat, cuius se vere pœnitet, ut valida fiat confessio. At quoniam rudes parum capiunt quomodo debeat esse hic dolor, sæpe explicet, quod quisque pœnitens, ut valide confiteatur (sive dolor sit contritionis, sive attritionis) debet ita pœnitere sui peccati, ut illud odio habeat, et detestetur super omnia mala.

39. Hortetur 6. ut in iræ motibus, pro blasphemando, et imprecando, assuescant dicere; *Male habeat*

peccatum meum; male vertat demoni: aut *Domina mea adjuva me; Domina mea concede mihi patientiam.* 7. In horrorem ponat superstitiones sive vanas observantias, quæ solent adhiberi ad curandos morbos, aut ad cognoscendos fures, etc. 8. Inculcet parentibus, ut in filios animadvertant, præsertim dum sunt pueri, cum blasphemant, aut furantur, etc. Insuper invigilet ad observandum, et sciscitandum cum quibus illi versantur, et interdicit ne cum malis sociis comitentur, aut personis diversi sexus familiariter utantur. Prætere ne in proprio lecto filios cubare faciant, vel nimis parvos ne suffocentur, aut ætate provecos (puta si 6. annos excesserint) ne illi scandalum patiantur, et tanto minus permittant mares, et femellas in eodem lecto dormire.

40. Hortetur 9. persæpe suos auditores, ut tentationes internas (præcipue impuritatis) arceant invocando SS. Nomina Jesu et Mariæ. Hoc est maximum remedium adversus tentationes. 10. Instet jugiter ad hortandum, ut, cum quis in mortale prolapsus est, statim contritionis eliciat actum quo gratiam amissam recuperare possit, cum proposito quocumque confitendi; et ab eis deducat hanc dæmonis fraudem, nempe quod tam Deus parciat duobus quam uni peccato; cum contingere possit quod Deus expectet post primum, et post secundum suo auxilio eos destituat.

41. 11. Doceat actus quos quilibet facere debet cum a cubitu surgit, nempe gratiarum actionum, oblationis, et supplicationis, ter Ave recitando in honorem SS. Mariæ et proponendo vitare omne peccatum, et illud præsertim in quod sæpius labi solitus est, divinam Matrem supplicando ut ab illo eum liberet; et hortetur omnes matres, ut hoc practitari faciant quolibet mane suis filiis. In concionibus significet parentes teneri ad curandum ut filii Sacramenta frequentent; ea enim non